



BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0353

Martedì 26.06.2007

MOTU PROPRIO CON CUI IL SANTO PADRE BENEDETTO XVI RIPRISTINA LA NORMA TRADIZIONALE CIRCA LA MAGGIORANZA RICHIESTA NELL'ELEZIONE DEL SOMMO PONTEFICE

MOTU PROPRIO CON CUI IL SANTO PADRE BENEDETTO XVI RIPRISTINA LA NORMA TRADIZIONALE CIRCA LA MAGGIORANZA RICHIESTA NELL'ELEZIONE DEL SOMMO PONTEFICE

Pubblichiamo qui di seguito il *Motu Proprio* con cui il Santo Padre Benedetto XVI ripristina la norma tradizionale circa la maggioranza richiesta nell'elezione del Sommo Pontefice. Secondo tale norma, perché il Papa possa considerarsi validamente eletto, è sempre necessaria la maggioranza dei due terzi dei Cardinali presenti.

● **MOTU PROPRIO** LITTERAE APOSTOLICAE

MOTU PROPRIO DATAE de aliquibus mutationibus in normis de electione Romani Pontificis

BENEDICTUS XVI Constitutione apostolica *Universi Dominici gregis*, die XXII Februarii anno MCMXCVI promulgata¹, Venerabilis Decessor Noster Ioannes Paulus II, nonnullas immutationes induxit in normas canonicas servandas pro electione Romani Pontificis a Paulo VI, felicitis recordationis, statutas². In numero septuagesimo quinto memoratae Constitutionis statutum est ut exhaustis incassum omnibus suffragationibus, iuxta normas statutas peractis, in quibus ad validam electionem Romani Pontificis duae ex tribus partes suffragiorum omnium praesentium requiruntur, Cardinalis Camerarius Cardinales electores consulat de modo procedendi, atque agetur prout eorum maior absoluta pars decreverit, servata tamen ratione ut electio valida evadat aut maiore absoluta parte suffragiorum aut duo nomina tantum suffragando, quae in superiore scrutinio maiorem suffragiorum partem obtinuerunt, dum hoc quoque in casu sola maior absoluta pars requirebatur. Post promulgatam vero laudatam Constitutionem, haud paucae petitiones, auctoritate insignes, ad Ioannem Paulum II pervenerunt, sollicitantes ut norma traditione sancita restitueretur, secundum quam Romanus Pontifex valide electus non haberetur nisi duas ex tribus partes suffragiorum Cardinalium electorum praesentium obtinisset. Nos igitur, quaestione attente perpensa, statuimus ac decernimus ut, abrogatis normis quae in numero septuagesimo quinto Constitutionis Apostolicae *Universi Dominici gregis* Ioannis Pauli II praescribuntur, hae substituantur normae quae sequuntur: Si scrutinia de quibus in numeris septuagesimo secundo, tertio et quarto memoratae Constitutionis incassum reciderint, habeatur unus dies orationi, reflexioni et dialogo dicatus; in subsequentibus vero suffragationibus, servato ordine in numero septuagesimo quarto eiusdem Constitutionis statuto, vocem passivam habebunt tantummodo duo Cardinales qui in superiore scrutinio maiorem numerum suffragiorum obtinuerunt, nec recedatur a ratione ut etiam in his suffragationibus maioritas qualificata suffragiorum Cardinalium praesentium ad validitatem electionis requiratur. In his autem suffragationibus, duo

Cardinales qui vocem passivam habent, voce activa carent. Hoc documentum cum in *L'Osservatore Romano* divulgabitur statim vigere incipiet. Haec decernimus et statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XI mensis Iunii, anno MMVII, Pontificatus nostri tertio. BENEDICTUS PP. XVI _____ 1 IOANNES PAULUS II, Constitutio apostolica *Universi Dominici gregis*, 22 februarii 1996, in *AAS 88* (1996) 305-343. 2 PAULUS VI, Constitutio apostolica *Romano Pontifici eligendo*, 1 octobris 1975: *AAS 67* (1975) 605-645.

[00953-07.02] [Testo originale: Latino]

[B0353-XX.01]
